

QUAESTIO VII

Circa distinctio secunda quaero UTRUM DEUM ESSE SIT PER SE NOTUM VIATORI, VEL EX PER SE NOTIS demonstrabile? Et Arguo quod sic. Viatori est per se notum, quod aliquid est; igitur per se notum est eidem vel ex per se notis demonstrabile, quod Deus est. Probatur consequentia: quia sequitur, Aliquid est, igitur Deus est: sed haec consequentia est necessaria; igitur cui est per se notum antecedens, et scit consequentiam esse necessariam, non poterit dubitare consequens. Est igitur per se notum, quod Deus est, vel consequens ex per se noto: quod fuit probandum.

Secundo sic: Haec est evidens et per se nota, Necessesse esse est: sed Deus est necesse, vel Deum esse est necesse esse; igitur. Probatur prima propositio: quia impossibile est cogitare, quod necesse esse fit sub opposito ad li est; igitur non poterit mens assentire illi, scilicet necesse esse non est; igitur nec potest dissentire illi, scilicet necesse esse est.

Tertio Deum esse est possibile; igitur Deus est. Antecedens haberi potest ex per se notis; igitur et consequens, si consequentia probetur esse necessaria. Quod autem consequentia sit necessaria, proba: quia detur oppositum consequentis, scilicet Deus non est; igitur Deus non potest esse. Probo: quia si Deus non est, tunc nec a se nec ab alio potest accipere esse, et per consequens nullo modo potest esse: quod est oppositum antecedentis primi. Sed quod Deum possibile [147] sit esse, proba: quia nullam contradictionem evidenter includit Deum esse, secundum omnes; igitur.

Oppositum arguitur. Non quilibet apprehendens significatum huius termini Deus continuo assentit huic enuntiabili, scilicet Deus est; igitur hoc enuntiabile non est per se notum. Consequentia patebit per difinitionem per se noti dandam infra: et antecedens patet de multis gentibus quae apprehendunt quid nominis Deus, quae tamen ignorant Deum esse.

In ista quaestione praemitto Primo more solito declarationes terminorum. Secundo ponam conclusiones probabiles tantum. Tertio solvam contraria.

ARTICULUS I

Praemittuntur more solito declarationes Terminorum.

Primo igitur per quid nominis Dei, seu per Deum intelligo Essentiam summe perfectam, cui nihil melius excogitari potest, cui competit omnis perfectio simpliciter infinite; et generaliter quidquid est melius ipsum quam non ipsum. Ad mentem Venerab. Anselmi proslogio 2. et 3. cap. Et Boetii 2. de consolatio. prosa 10. Et 24. propositionem Philosophor. XXIV de Deo loquentium. Item per B. Augustin. 1. de doct. Christ. cap. 4. Ex qua descriptione sequuntur propositiones.

Prima propositio: quod Deum esse est ens simpliciter necessarium esse. Id est, hae duae se inferunt; scilicet, Deus est, et Necessesse esse est. Patet: quia necesse esse melius est in quocunque est, quam eius negatio; igitur competit Deo.

Secunda propositio: Haec conditionalis est necessaria, Si Deus est omnipotens est, infinita sapientia est, infinita bonitas est et sic de aliis denominationibus perfectionis simpliciter. Patet sicut praecedens.

Tertia propositio: Licet Deum esse sit Deum esse trinum et unum; non tamen omnis assentiens quod Deus est, statim assentit illi Deus trinus et unus. Et ex hoc consequitur, quod non

est evidens, quod [148] quod melius sit Deum esse trinum et unum, quam non: et ideo non est tam evidens quod Deum esse trinum sit perfectionis simpliciter, sicut quod Deum esse omnipotentem esse perfectionis est evidens. Patet igitur consequenter

Quarta propositio: scilicet quod Aliqualiter esse est perfectionis simpliciter, qualiter esse perfectionis simpliciter non est viatori evidenter notum. Secundo, quia dictum est Deo competere quidquid est perfectionis simpliciter; idcirco videndum est quid sit perfectio simpliciter, quam breviter pro nunc sic describo, scilicet prout est complexe significabilis: quod est Aliqualiter esse qualiter esse in natura demonstrata affirmatum non est infert, quod illa natura est imperfecta, sed quod est aliqualiter perfecta; et oppositum esse infert, quod illa natura non est omnino perfecta. Et haec est definitio Magistri Hugulini, qua exponit Anselmum dicentem quod perfectio simpliciter est id quod in unoquoque est melius esse quam non esse: Id est, inquit Hugulinus, ex non esse nihil boni affirmatur de essentia aliqua, imo imperfectio eius arguitur; et ex esse perfectio de aliquo existenti essentiali infertur. Dicit autem notanter de aliquo existenti essentiali; quia aliqua sunt perfectionis simpliciter, sicut non posse peccare et non posse errare, quae vere probantur de non entibus, imo de impossibilibus existere (haec enim est vera: Chimaera non potest peccare vel errare); et tamen taliter non posse non arguit perfectionem in Chimaera) sed in natura existente sic non posse non arguit imperfectionem imo perfectionem, saltem in natura libera intellectuali. Diceres: Igitur lapis quia impeccabilis est, et non potest inculpabiliter peccare, eo ipso arguitur perfectior, quam si esset peccabilis; quod est falsum: quoniam esse peccabile arguit aliquam naturam esse perfectiorem lapide, puta quia arguit ipsam esse liberi arbitrii: et sic videtur haberi contra descriptionem, scilicet contra illud membrum et oppositum esse [...] quia posse peccare licet arguat [149] aliquid de quo affirmatur non omnino perfectum, tamen aliquo modo arguit ipsum esse perfectum, ut videtur.

Respondeo hic et Dico I. quod posse peccare vel errare in nulla natura arguit perfectionem ex se causaliter, licet esse naturam liberam et intellectualem sit perfectionis. Patet ista: quia nulla defectibilitas seu imperfectio de se est ratio alicuius perfectionis in aliquo, licet quandoque per accidens et illative sequatur perfectionem aliquam inesse alicui ex eo quod sibi competit aliqua certa imperfectionis denominatio: ut in instantia data sequitur, Homo potest peccare, igitur homo est rationalis creatura libera. II. Dico quod homo propter posse peccare non est perfectior lapide, sed propter esse intellectivum liberum. Patet: quoniam posse peccare in nulla re arguit perfectionem ex se, nec est causa perfectionis in aliqua natura, sed semper est argumentum imperfectionis. Ex quo sequitur consequenter, quod peccabile esse ex se nullam perfectionem argueret in lapide imo argueret lapidem non omnino perfectum et habere imperfectionem annexam alicui perfectioni. III. Dico: quod esse impeccabile non arguit lapidem de per se esse imperfectum, id est, non eo ipso lapis est imperfectus quia non potest peccare. Patet igitur quod instantia praedicta non efficit contra descriptionem. Item IV. Dico: quia non dicitur, quod omnis perfectio simpliciter affirmata de aliquo existente, inferat ipsum esse perfectius quolibet alio de quo oppositum eius affirmatur; sed Anselmus est exponendus sicut dictum est.

Ex illa descriptione, adiunctis quibusdam veris, probo propositiones aliquas:

10. I. Propositio: Quaelibet perfectio complexe significabilis potest competere alicui essentiae. Voco autem perfectionem simpliciter complexe significabilem, ut Sapientem esse, Iustum esse, Nosse, Velle, [...] Probatur propositio: Si aliqua perfectio simpliciter non esset possibilis competere alicui naturae; sequeretur quod de quocunque affirmaretur, de illo affirmaretur esse, quod impossibile est esse: et per consequens, ipsa affirmata de aliquo non inferret illud esse aliqualiter perfectum, imo inferret ipsum non esse; quod repugnat perfectioni [150] simpliciter hic

datae. Patet igitur, quod nullum significabile Quod nec defectio competit alicui enti nec competere potest, est perfectio simpliciter.

Secunda propositio: Nullius perfectionis summa denominatio claudit imperfectionem. Voco autem summam denominationem; ut Esse summum, velle Summum, Sapientem esse summe, summe iustum esse, [...] Probatur: quia licet sint plura sic esse perfectionis in creatura cum imperfectione, ut Esse contingenter. Esse contingenter sapientem [...] tamen illa non est summa denominatio Esse, vel Esse sapientem; sed Summe esse vel Infinite esse, vel Infinite sapientem esse, et huiusmodi, sunt maxime denominationes perfectionis simpliciter non includentes perfectionem; sed omnem in perfectionem excludentes. Ex quo patet, quod non in quolibet suo significato huiusmodi perfectiones habent necessario annexam imperfectionem. Ex quo sequitur

Tertia propositio: Quod quaelibet perfectio simpliciter secundum maximam eius denominationem possibilis est inesse alicui enti, vel de facto inest. Patet ex praemissis.

Consequenter sequitur quarta propositio: quod Si Deus est, quaelibet perfectio simpliciter convenit ei secundum eius denominationem latissimam ac summam. Patet ex descriptione quid nominis Deus, prius data

Quinta: alicui essentiae de facto competit quaelibet perfectio simpliciter secundum eius denominationem summam; id est, sine omni imperfectione annexa. Probatur. Si non; detur igitur aliqua perfectio simpliciter quae dicto modo non competit de facto alicui enti, et sit B: tunc per tertiam hic propos. B potest competere alicui essentiae, et non competit de facto; igitur contingenter competeret cui competeret; igitur B est contingenter perfectio et annexam habens imperfectionem, quod destruit primum antecedens positum, scilicet quod sit perfectio secundum latissimam denominationem suam: et haec propriissime dicitur perfectio simpliciter, quia est perfectio sine imperfectione annexa. Confirmatur. Sit B esse beatum, tunc si B non convenit de facto alicui secundum maximam denominationem suam; igitur cuicumque competeret B, sibi competeret cum hac imperfectione [151] contingenter, et tunc infertur oppositum B; infertur enim quod B non est B, id est, summe beatum esse, quia contingenter beatum esse non est summa denominatio beati esse. Item sequitur: Si B dicto modo nulli inest, quod nulli necessario possit inesse. Item quod non potest competere nisi rebus mutabilibus, et quae possunt perfici in sua perfectione, et non Deo; quod repugnat dictis in descriptione: quia tunc B non universaliter argueret illud cui inest eo ipso esse perfectius eo cui non inest modo praedicto seu supra scripto. Ex ista quinta veritate praecedente sequitur sexta propositio: quod Quaelibet perfectio simpliciter alicui enti necessario et infinite competit, vel, quod alicui enti quaelibet perfectio competit necessario et infinite. Probatur: quia (per tertiam hic praemissam) quaelibet potest inesse secundum perfectissimam denominationem, et (per quintam) de facto quaelibet alicui inest: cum igitur esse beatum necessario et infinite sit quaedam denominatio perfectionis, et esse sapientem necessario et infinite similiter sit perfectio possibilis inesse, et sic de aliis; patet (per quintam) quod quaelibet alicui de facto competit.

Septima propositio: Cuicumque essentiae competit aliqua perfectio simpliciter necessario et infinite, eidem essentiae competit quaelibet perfectio alia simpliciter necessario et infinite. Probatur. Si non detur oppositum, puta quod B essentia sit necessario infinita Sapientia, sed non necessario nec infinita potentia, vel de quavis alia perfectione volueris negare: et tunc vel hoc est quia B nullam habet potentiam et tunc quaelibet sapientia habens potentiam, vel existens potenter sola, est perfectior; igitur B non fuit summa vel infinita sapientia necessario; quod est contra positum. Vel secundo hoc contingit, quia B habet quandam potentiam scilicet finitam; et tunc sequitur idem quod prius: quia sit illa potentia C; tunc patet quod C est certa portio latitudinis suae

speciei, et per consequens possibile est esse potentiam altiore, quam habens esset perfectius quam B; igitur B non erat summa Sapientia nec infinita, quod contradicit posito: contradictionem namque implicat certam portionem et infinitam alicuique speciei perfectionem enti necessario convenire; igitur propositio vera. Et sicut probatum est de potentia, ita inductive potest probari de aliis. Ex dictis patet [152] consequenter inferendo quod illa essentia cui omnis perfectio necessario et infinite competit, est qua maior cogitari non potest, et per consequens est Deus. Sed utrum illam essentiam esse in rerum natura sit per se notum vel evidenter ex per se notis demonstrabile, sic quod per significatum huius nominis Deus sit in re? de hoc est praesens quaestio retractanda: licet enim praedictae propositiones sint verae, et supposita descriptio Perfectionis tanquam vera (sicut videri neorationabiliter persuasi, et efficacius forsitan probatae et probabiles, quam earum oppositae, vel etiam quam aliqua propositio Philosophorum de substantiis spiritualibus) non tamen sunt propositiones notae esse per se notae, nec naturaliter evidentes, evidentia saltem reducibili ad principium primum complexum evidenter. Idcirco pro praesenti difficultate solvenda.

Tertio praemitto quid sit per se notum, et quid sit notum esse quod aliquid est per se notum? Sciendum igitur quod per se notum potest dupliciter sumi: Uno modo quod est per se notum alicui, sed non cuilibet apprehendendi; sicut mihi est notum quod vivo, et quod aliquid mihi videtur vel apparet, hoc enim nosco sine alterius extrinseci notitia: et sic capiendo non oportet omne enuntiabile per se notum esse necessario verum. Alio modo sumitur per se notum simpliciter et magis proprie, et potest sic describi: Per se notum est enuntiabile complexum quod de communi lege circumscripto miraculo cuilibet advertenti est notum alicuius indigentia notitiae alicuius extrinseci: et hoc proprie est necessario verum.

In hac descriptione enuntiabile est genus convenientius quam si diceretur Propositio: cum Primo nulla propositio est per se nota esse vera, sed cognoscitur esse vera per aliud, puta per notitiam de sic esse qualitercunque per ipsam propositio significatur. Item secundo quia de nulla propositione est per se notum quid ipsa significet: hoc patet de vocalibus et scriptis; de mentalibus etiam patet, quia soli habenti eam et Deo notum est quid ipsa significat. Item tertio, quia de nulla propositione per se notum est cuilibet ipsam significere sic esse, qualiter esse est per se notum; sed praexigitur quod sit notum quid et qualiter esse significet: licet igitur de significato sit per se notum quod ita sit, non tamen est [153] per se notum illud significatum significari per aliquam propositionem: et sic patet, quod propositionem veram esse concluditur per duas vel tres praevias notitias extrinsecas. Item quarto, de nulla propositione est per se notum quod ipsa est in re, alioquin esset per se notum quod hoc accidens vel hoc corpus est; quod est falsum: quoniam hoc notificabile est necessario per experientiam vel per aliam notitiam. Sic igitur patet, quod nulla propositio est per se notum: propter quod Per se notum bene describitur per li Enuntiabile, tanquam per genus, quia aliquod enuntiabile (puta aliquid est, vel, non aliquid est) sic cuilibet advertenti notum est esse verum, quod nullatenus dubitare poterit ipsum esse verum, quicumque utitur ratione.

Secundo ponitur ibi hoc membrum de communi lege, scilicet circumscripto miraculo, ad differentiam eius quod miraculose fieret: unde si Deus suspenderet coagere suum ad quemlibet assensum creaturae respectu veri, nihil esset notum per se creaturae. Item alio modo, quia Deus posset facere vel fecisse multa enuntiabilia esse per se nota vel fuisse ab aeterno, quae tamen secundum cursum quem videmus non sunt per se nota: Verbi gratia: Si Deo faciente semper fuisset verum, quod quilibet intellectus videret Deum, tunc Deum esse fuisset semper cuilibet intellectui per se notum; sed tamen quia intellectualis creatura potest non habere Deum esse per se notum, utpote si nunquam videat Deum, idcirco dixi de communi lege [...]

Tertio dixi cuilibet advertenti, ad differentiam per se noti huic, et non simpliciter; de quo per se noto dictum est in primo membro huius declarationis vel divisionis: licet enim mihi

advertenti notum sit indubitanter et certitudinaliter quod ego sum, et quod ego volo, et similia; non tamen hoc notum est cuilibet advertenti, sed bene similia sic esse sunt tibi per se nota, et alia similia Petro, et alia Borti, et sic de quolibet; cuilibet enim homini particulari est aliquid per se notum, quod non est per se notum alteri, et ideo talia sic esse non sunt huius secundi membri sed primi de per se noto. Item secundo per eandem clausulam innuitur, quod non oportet quod per se notum sit semper notum cuilibet actualiter, sed si advertat.

Quartum membrum est notum expono sic: quod non est [154] naturaliter sibi scilicet advertenti dubitabile, quin bene sit certus quod de sic esse non dubitat, nec de quolibet similiter sic esse quod necessario sequitur ad illud evidenter.

Quinto additur absque indigentia notitiae extrinseci, quia solae notitiae terminorum vel partium istius enuntiabilis sufficiunt ad assensum de sic esse.

Dixi ultimo, quod per se notum est semper necessario verum: quod quidam dictum sequitur ex partibus praecedentibus, quia si aliquid enuntiabile non est necessario et semper verum, igitur ad hoc quod ipsum sit notum esse verum non sufficit sola apprehensio terminorum vel partium ipsius. Quia si A enuntiabile non fuit semper verum, igitur quandoque fuit non verum: sit igitur mensurae pro qua fuit non verum, B; tunc in B non fuit per se notum si igitur nunc A est notum, igitur aliquo modo advenit de novo, quod requirebatur necessario ad A esse verum: sit illud C; tunc patet, quod A egebat C ad esse verum; igitur ad notitiam A praeexigitur notitia de esse vel de ad esse C, quod est contra diffinitionem per se noti; igitur A non est per se notum, sed per notitiam extrinsecam. Item si A quandoque non fuit verum, sed verificatum est per adventum alicuius ad veritatem suam requisiti (puta C) A nunc est dubitabile, quia non est nunc per se notum C advenisse; et sic iterum sequitur idem quod prius. Patet igitur, quod per se notum enuntiabile non potest incipere esse, vel desinere esse verum; est igitur semper verum, quod fuit probandum. Similiter probo, quod omne per se notum est necessario verum: Quia si A enuntiabile est non necessario verum; igitur A potest non esse verum; igitur A est dubitabile. Prima consequentia patet, sed secunda probatur: quia si A potest non esse verum (dato quod nunc sit verum vel non, quia non refert quantum ad propositum an sit verum vel non) si igitur A potest non esse verum; aliquo modo esse vel non esse repugnantia ad A esse verum est possibile esse, et non est per se notum illud non adasse nunc; igitur non est per se notum A esse verum nunc, alicui enim potest esse dubium an aliquid repugnans ipsi A sit nunc positum in esse vel non; igitur ad notitiam veritatis A [155] praeexigitur notitia extrinseca, et per consequens non est per se notum. Concludo igitur ex dicta descriptione

Prima quod omne per se notum (stricte capiendo per se notum) est semper necessario verum. Et haec sit propositio I.

Secunda propositio: Quod nulla propositio est per se nota proprie loquendo: sed secundum communem usum loquendi dicimus, quod illa propositio est per se nota quae sic significat sicut esse est per se notum et evidens cuilibet advertenti modo praeexposito alicui scilicet et aequivalens eidem in significando potest esse alteri per se nota sic quod si per se tollat priorem propositionem requiri ad assensum de sic esse. Haec propositio secunda probata est prius.

Tertia propositio: Nulla propositio demonstrabilis est per se nota. Patet ex ultimo membro descriptionis.

Quarta propositio: Quod non omnis immediata propositio est per se nota, licet e contrario omnis per se nota sit immediata. Patet prima pars, quia per se notum addit super immediatum exclusionem notificationis per aliud: per membrum quintum descriptionis.

Quinta propositio: Non sufficit ad aliquid enuntiabile esse per se notum quod ipsum sit evidens vel necessarium. Patet de significabili conclusionis potissime demonstratae.

Sexta propositio: Duarum equipollentium propositionum una est per se nota (modo praeexposito in propos. hic 2.) et alia non. Probatur, quia non est per se notum omnia equipollentia esse equipollentia. Item aliquod diffinitum equipollens suae diffinitioni notificatur per ipsam diffinitionem; ubi igitur diffinitio esset per se nota alicui convenire, oporteret esse per se notum eidem competere diffinitum: quia non est per se notum B diffinitionem esse C diffiniti, nec est per se notum B et C equipollere, imo illud est notificabile per aliud; igitur. Haec tamen propositio valeat quantum potest.

Septima propositio contra Scotum 2. dist. quaest. 1. Non omnis enunciatio quam habens vel sibi similem in specie, et advertens actualiter, non potest dubitare de sic esse sicut significat, imo est sibi evidens sic esse; non, inquam, omnis talis est proprie per se nota. Probatur, quoniam enuntiatio quae est evidens perceptio de Deum esse [156] quam habent (... suo ?) beati est talis, quod nec ipsa nec sibi simili in specie est, quam habens actualiter intelligendo possit dubitare et eam habere: sed tamen quia non cuilibet utenti rationi et advertenti ad illud significabile vel cui potest sic apparere est in omni casu notum sic esse per se, igitur [...] Et haec est ratio Magistri Hugulini.

Octava propositio: Licet aliquid sit per se notum (puta enuntiabile illud scilicet aliquid est, vel non est, vel illud aequaliter est) non tamen est per se notum quod aliquid sit per se notum. Probatur prima pars per descriptionem datam de per se noto quae convenit dictis enuntiabilibus; quoniam naturaliter quilibet utens ratione, et actualiter apprehendens, assentit indubitanter primo principio complexa sic notitiae alicuius extrinseci saltem non indiget alia notitia. Sed secunda pars probatur per eae quae dicta sunt in declaratione secundi membri descriptionis: quia non est per se notum cuilibet utenti ratione, quod quilibet apprehendens primum principium complexum (puto aliquid est, vel non aliquid est, de quolibet est vel non est [...]) necessitetur ad assentiendum sic esse sicut significat: quia possibile est Deum facere, quod aliquod enuntiabile plus necessitet vel sit.